Seitenstetten, Benediktinerstift, Cod. 20 [Verbleib unbekannt]

[Rudolf Kapeller-Maximilian Pampichler]: Codicum Manuscriptorum Bibliothecae Seitenstettensis Tom. I (Cod. 1-200) (handschriftlich) [um 1800], 29.

Decsl.

Cod. XX.

membran. Fol. foc. 13 v 14.

1.
2.7.
29.

S. Biblia v. & N. Testamenti.

Charakteribus quidem minusculis, sed elegantissimis exaratus, ac Edenburgi 20 aureis comparatus. Continet universa Biblia V. & N. Testamenti juxta versionem S. Hieronymi, et veteris vulgata, quod ex Collatione cum Biblis ejusdem sancti, ac 1476. et a Martianaeo in Biblioth. divina S. Hieron. editis, facta sit manifestum. Ceterum opere pretium erit, codicem nostrum diligentius ~~exquirere~~ diligentius, ac memorabilia anotare. Absque ullo titulo incipit epistola nata S. Hieron. ad Paulinum: "Frater Ambrosius mihi tua munusculа perferens". Post hanc ejusdem Prologus in Pentateuchum ad Desiderium: "Desiderii mei desiderata accepi literas". Jam sequuntur genes. Exod. Levit. Num. et Deuteron. in capitula quidem divisa, sed non in versus, quod in toto codice observatur.

Librum Josue procedit Prologus S. Hier. "Tandem finito Pentateuchо Moysi". Dein libb. Judicum, et Ruth. Libro I Regum proponitur Prologus S. Hieron. qui dicitur Galeatus: "Viginti et duas literas esse apud Hebraeos"; sequuntur ordine IIII. et IV Reg. Postea Paralipom. libb. duo cum praefat. S. Hieron "Si Septuaginta interpretum". Capitulo ultimo libri 2di anexa est oratio Manassis Regis Juda apocrypha: "Domine Deus omnipotens Patrum nostrorum". Contuli cum Biblis P. Sabatier, T. 3. p. 1009. et adductis ibi MSS. Colbertinis n. 279. et n. 993. ac maxime his consonam nostram orationem deprehendi, uti in edit. ac 1476. (a)

Libro Esdra I. praefixus est prologus S. Hier. in Esdram et Nehemiam ad Domnionem et Nagatianum: "Utrum difficilius sit, facere quod poscitis." Hic liber non in decem, ut habet nostra vulgata, sed in septem est capitula disjunctus. Liber, qui est apud nos 2dus, novo inchoatur capitulo, sed sine titulo, nisi quod rubro sit praescriptum: Nee, id est Nehemia, quo tamen non obstante in fronte foliorum sequentium legitur: Esdras I. Liber iste absolvitur capitibus XIII. ut in vulgata.

Post ultimum capitulum imediate sequitur: "Incipit liber secundus Esdra", et continet capitula 27. Est iste liber, quem dicimus 3tium Esdra,

(a) Orationem Manassis scriptam fusse in Sermonibus Regum Israel, et in Sermonib. Hozai Prophetae, testatur locus 2. Paralip. 33. 18. 19. Ea vero, quae hodie Regis illius nomine extat, verbis Paralipomenon uno veluti tenore subjicitur ab Auctore Constitut. Apostolicarum II. 22. atque latente Coteleria fictitia est ac extra Canonem Librorum Divinorum collocata. — Ex antiquis eam plures genuinam habuere, quorum de apud Fabric. Biblioth. graec. lib. 3. p. 29. — Graecos etiamnum hodie inter alia Cantica hac Manassis oratione uti, notavit Leo Allatius de libb. eccleriast. graecor. p. 82. — Qui vero affirmarunt, eam nec graece nec hebraice reperiri, adeant Lambec. Comenta. Bibl. Caes. lib. 3. p. 27. et 29. Bonfrer. p. 14. Dupin in Proleg. Constit. Apost. p. 17. Labb. Concil. T. 1. Paris. 1671. Coteleriu Patres Apost. — Biblia Hob. Steph. 1540. et Walton. Polyglotta.

Seitenstetten, Benediktinerstift, Cod. 20 [Verbleib unbekannt]

[Rudolf Kapeller-Maximilian Pampichler]: Codicum Manuscriptorum Bibliothecae Seitenstettensis Tom. I (Cod. 1-200) (handschriftlich) [um 1800], 30.

ad apocrypha rejectus. S. Hieronymus in mox dicto Prologo ~~orationem Manassis scriptam fuisse in sermonibus regum Israel, et in sermonibus Hozai Prophetae, testatur librum 2. Paralip. 33, 18. 19.~~ Ea vero, quae hodie legitur illius nomine extat versus Paralipomenon uno veluti de nore subjicitur ab Auctore Constitut. Apostolicorum II. 22. atque fatente Cotelerio fictitia est ad extra Canonem libr. divinor. collocata. Ex antiquis eam plures genuinam habuere, quos vid. apud Fabric. Bibliotb. graeca, lib. 3. c. 29. Graecos etiamnum hodie inter alia Cantica hac Manassis oratione uti, notavit Leo Allatius de libb. eccles. graec. p. 62. Qui vero affirmarunt, eam nec graece nec hebraice reperiri, adeat Lambec. comment. Bibl. caes. lib. 3. p. 37. et 379. Montfaucon. p. 14. Dupin in Prolog. Bibl. Constit. Apostolic. p. 17. Labbei concil. T. I. Paris 1671. Cotelerii Patr. Apost. Basilea Rob. Stephani 1540. Waltoni Polyglott. in Esdram et Nehem. Utrum difficilius inter alia ait: "Nec quemquam moveat, quod unus a nobis "editus est, nec Apocryphorum tertii et quartii somni "is delectetur, quia et apud Hebraeos Esdra Nehemiaque "sermones in unum volumen coarctantur, et quae non ha"bentur apud illos, - - sunt procul abjicienda." Ex his patet, librum 1. et 2. Esdrae uno conclusum fuisse volumine jam ab Hebraeis, uti et in codice nostro. Librum vero tertium (: qui codici nostro secundus:) esse apocryphum, et ab alio quam Hieronymo translatum. (Isidorus Hispal. VI. 2. orig. vocat eum (: sicut codex noster:) librum secundum, negans eum apud Hebraeos haberi; sed Joh. Morino p. 225. Exercit. Bibl. ex hebraico translatus videtur. Graece extare negarunt viri nonnulli docti, quia deest in nonnullis Bibliorum editionibus. In pleriisque vero extat, et in Polyglottis Parisiens. et Londin. legitur graece, Syriace, ac latine. Quis eum Latio donaverit, cum nulla suppetant argumenta, dignosci nequit; sed diu ante Hieron. tempora latine lectitatum constat e Tertulliano, Cypriano, Ambrosio et aliis.

Hunc 3tium Esdra librum exhibet Sabatier Bibl. sacrorum Tom. 3. p. 1041. duplici columna, quarum una versionem vulgatam, altera versionem alteram nempe ex Codice Colbertino, uti docet praefatio, continet. Codex noster versionem vulgatam sequitur, exceptis quibusdam variantibus, sed nullius momenti

Seitenstetten, Benediktinerstift, Cod. 20 [Verbleib unbekannt]

[Rudolf Kapeller-Maximilian Pampichler]: Codicum Manuscriptorum Bibliothecae Seitenstettensis Tom. I (Cod. 1-200) (handschriftlich) [um 1800], 31.

lectionibus, et numero capitum; nam apud Sabatier totus liber absolvitur capitibus 9, in Ms. nostro capitibus 27.

Liber Tobiae cum praefatione S. Hier. ad Episcopos Chromatium et Heliodorum; juxta versionem ejusdem sancti.

Liber Judith cum praefat. S. Hier. apud Hebraeos liber Judith. Hanc excipit altera. "Arphaxad rex medorum superatis multis gentilibus", ignoti Authoris quae potius brevis est ac compendiosa narratio totius libri Judith. Versio est S. Hieronymi ex Chaldaico facta, ut in Vulgata.

Liber Esther cum praef. S. Hier. "Librum Esther varii translatoribus". Versio S. Hier. ex Hebr. ut in Vulgata.

Liber Job cum duplici S. Hier. praefat. una: "Cogor per singulos divina scriptura libros", altera: Si aut fides Sedam junco texerem". Priorem praefixit S. Pater versioni, ex fonte Hebraico, posteriorem versioni juxta LXX exarata. Ubi notandum, Hieronymum in illa verum et novum translatorem egisse, in hac potius correctorem. Quod codicem nostrum attinet, est in eo versio emendata a S. Hier. uti habetur in Vulgata. Ex collatione prodite sunt quaedam vocum transmutationes et lectiones variantes, sed sensum minime mutantes.

Liber Psalmorum absque Praefatione. Praemittendum censeo, S. Hieronymum etiam in Psalmos duplicem navasse operam, 1mo eos emendando ad editionem LXX ut ipse scribit ad Paulum et Eustochium; 2do eos de novo ex fonte hebraico transferendo. Codex noster continet versionem ex Graeco juxta emendationem S. Hier. uti habetur in Biblis vulgatae editionis. Illud autem memoratu dignum, quod Psalmis, sicut in hebraico, nulli appositi numeri, quos in graeci habent; aliquot Psalmorum inscriptiones seu tituli modo cum vulgata hodierna, modo cum vulgata veteri concordes, modo ex utraque composita inveniantur; imo Ps. 148. in fronte geri titulum: Alleluja. Aggai et Zacharia, plane ut in Graeco.

Parabolae Salomonis cum prologo S. Hieron. Jungatepistola, quos jungit Sacerdotium, quae in vulgata dicuntur proverbia. Versio est ejusdem Sancti, quam concinavit ex fonte hebraico, sed subsequis temporibus varii Graecorum additamentis interpolata. Capite 31. a verbis: Mulierem fortem quis singulis versibus propositae sunt litterae alphabethicae hebraicae, Aleph, Beth etc. plane ut in editione opp. S. Hier. a Martianao T. I. p. 970.

Seitenstetten, Benediktinerstift, Cod. 20 [Verbleib unbekannt]

[Rudolf Kapeller-Maximilian Pampichler]: Codicum Manuscriptorum Bibliothecae Seitenstettensis Tom. I (Cod. 1-200) (handschriftlich) [um 1800], 32.

Liber ecclesiastes cum prologo seu potius epistola S. Hier. ad Paul. et Eustoch. "Memini me hoc ferme quinquenio." Versio est ejusdem ex hebraico, ubi in vulgata; lectiones variantes incuria peperit scriptoris.

Cantica canticorum ut in vulgata.

Sapientia. Versio nostra eadem quidem cum vulgata multas tamen continet lectiones variantes, sed quo ejusmodi non sunt, ut peculiarem probent ex graeco translationem. Cum liber iste juxta Hieronymum hebraice nunquam extiterit, fons latinarum omnium textus est graecus.

Ecclesiasticus. Idem de hoc libro dicendum est, quod de priori. Utrum vero Eccli. noster ex hebraico, an ex graeco prodierit, adhuc inter eruditos certatur.

Isaias cum prol. S. Hier. Nemo cum prophetas versibus.

Jeremias cum prologo S. H. Jeremias propheta, cui hic prologus.

Capiti ultimo annexa est Praefatiuncula hoc: "Factum est, postquam in captivitatem ductus est Israel "et Jerusalem destructa est, sedit Jeremias propheta "flens, et planxit lamentationem hanc in Jerusalem, "et amaro animo suspirans et ejulans dixit." Quae praefatiuncula nec habetur in Hebraeo, nec in antiquis. MSS. versionis Hieronymiana; sed habent eam graeci, a quibus ad versiones latinas antiquas dimanavit. Singulare est illud, quod non lamentationibus, sed Prophetiae Jeremiae sit adjecta. Imediate eam excipit non minus singularis inscriptio seu titulus libri Threnorum, his: "Incipit lamentatio Jeremiae, quod "est in titulo Cinoth: pro cinoth hebraico: cum abso."lutione litterarum ebraicarum."

Liber Baruch ex versione latina antiqua, nam Hieronymus eum nunquam in latinum vertit, ut ipse in praefatione ad Jerem. testatur. Praecedit brevis praefatiuncula: prologus in codice nostro dicitur: "Liber iste qui Baruch nomine praenotatur", quod non Hieronymi, sed recentioris multum autho."ris. In fine addita est epistola Jeremiae, ut in vulg. sed titulus variat; est ita in codice nostro: "Sequitur exemplum epistolae ejusdem": vulgata: exemplar epistolae, quam": quam misit Jeremias ad abducios vulg." abducendos": graec ἀχθεσομένους: captivos in babyloniam a rege babiloniorum, ut annuntiaret: vulg: "illis secundum": quod praeceptum est illi a Deo. Vers. quoque

Seitenstetten, Benediktinerstift, Cod. 20 [Verbleib unbekannt]

[Rudolf Kapeller-Maximilian Pampichler]: Codicum Manuscriptorum Bibliothecae Seitenstettensis Tom. I (Cod. 1-200) (handschriftlich) [um 1800], 33.

71. noster legit; "a purpura quoque et marmore, quo super teneant", vulg: "a purpura quoque et murice, quo super illos lineant". Cetera variantes minoris momenti.

Ezechiel, cum prolog. S. Hier. "Ezechiel Propheta cum Joachim".

Daniel, cum prologo S. Hier. "Danielem Prophetam".

Iam sequuntur **XII**. Prophetae minores cum prologis S. Hier. eodem ordine et eadem versione, ut in codice **XII**.

Libri duo Machabaeorum cum trino prologo; quorum primus et secundus sunt Rhabani Mauri; seu potius epistolae duae, Prima est ad Ludovicum Regem "Domino excellentissimo et in cultu Xtiane religionis "strenuissimo Lodovico Regi Rabanus vilissimus servorum "dei in domino Dnoq; perpetua optat salutem"; altera ad Geraldum Sacri palatii archidiaconum: "Reverentissimo et omni caritatis officio dignissimo Geraldo Sacri "palatii archidiacono. Rabanus vilis Dei servus servorum "in Xpo salutem". Tertius incipit: "Machabaeorum /: libri quoda scriptore omissum:/ duo praenotant praelia". Forsitan etiam hic Rhabanum habet authorem; destitutus autem operum ejus editione, nihil certi affirmare possum.

Novi Testamenti librorum ordo est sequens.

1. Quatuor evangelia cum suis prefationibus, de quibus vide, quae ad codicem **XIV** diximus. Illud autem hic loci prorsus singulare est, prefatiuncula ipsius Evangelistae Lucae Quoniam quidem multa propositam esse prologo Lucas Syrus, et hoc finito demum incipere Evangelium his verbis: "Fuit in diebus Herodis".

2. Epistolae S. Pauli, ad Romanos, ad Corinthios, ad Galathas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Thessalonicenses, ad Colocenses, ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebreos. Singulis epistolis praemittuntur brevissimae singulae.

3. Actus Apostolorum, cum prologo mutilo: "Lucas Antiochenus natione Syrus" perperam Hierony. adscripto.

4. Epistola S. Jacobi, cum prol. S. Hier. Non ita ordo est apud Graecos; qui tamen S. Doctori ab eruditis abjudicatur.

5. Epistola S. Petri sine prologo.

6. Epistola S. Joanis, absque numerorum distinctione, sed per modum epistolae unius; imo ubi incipit

Seitenstetten, Benediktinerstift, Cod. 20 [Verbleib unbekannt]

[Rudolf Kapeller-Maximilian Pampichler]: Codicum Manuscriptorum Bibliothecae Seitenstettensis Tom. I (Cod. 1-200) (handschriftlich) [um 1800], 34.

Epistola 3tia, rubro Scriptum legitur: "Prologus epistole Jude", mira profecto Scriptoris oscitantia. Quod attinet locum, 1. Joan. 5, 7. 8. de tribus in celo testibus, codex noster sic: v. 7. "Quia tres sunt, qui testimonium „dant in celo, pater et verbum et Spiritus sanctus, „et hi tres unum sunt; v. 8. et tres sunt qui testi„monium dant in terra, Spiritus et aqua et sanguis" Alterum itaque: "et hi tres unum sunt", in v. 8vo omissum; de quo S. Thomas aq. contra Joach. Abb. in secund. Decret. de Summ. trinit. et fid. cath. dicit esse appositum ab hereticis arianis. Ceterum antiquorum testimonia in hunc locum copiose collegit P. Sabatier in Bibl. lat. ant. vers. T. 3. p. 977. vid. etiam Biblia greca, edita a Griesbachio, et Ch. Fr. Augusti Schrift-Forschung, 2. B. p. 203. sqq. et 421 sq.

7. Epistola S. Jude.

8. Apocalypsis Joan.

Pro coronide addo, in codice nostro plurimas extare lectiones a vulgata versione variantes, momenti quidem raro graviores, et plerumque ex omissione vel errore Scriptoris ortas. Aetatem vero quod attinet, quis definire audeat, nulla vel Scriptoris v. temporis recurrente nota? Ego Seculo XIII. antiquiorem esse dicere nollem.

Seitenstetten, Benediktinerstift, Cod. 20 [Verbleib unbekannt]

Österreichische Akademie der Wissenschaften, Institut für Mittelalterforschung, Abteilung Schrift- und Buchwesen: manuscripta.at - Mittelalterliche Handschriften in österreichischen Bibliotheken
Permalink: manuscripta.at/?ID=27391